



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

III. Henricus Annam Boleniam, diuortij lite adhuc pendente, vxorem ducit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

valedicturus, quam Anna Bolena cariturus esset; ubi ventum est ad jusjurandum sanctæ Sedi Apostolicæ præstandum, Tabellionem accersit, & coram eo contestatur, se *invitum obedientiam Pontifici Romano promittere, nec quidquam minus in animo sibi esse, quam ut in Regis detrimentum illi fidem servet.* Hoc facto, omnibus ceremoniis ab iis qui Archiepiscopalem honorem primum capefunt, observari solitis defungitur. Erat homo sceleribus oppletus, ingenio lubrico & vasto, magna moliens & audax, denique inquinatus hæresi: quam etiam ob causam Maria deinde regnante, flammis traditum vidimus. à Germania adductam feminam, quum Episcopus esset, secum habuit, eandemque deinde mortuo Henrico palam in uxorem sub Eduardo Rege duxit. Henricus rex iis quæ hæcenus in causa sua gesta fuerunt, offensus atque irritatus, quotidie multo pejora moliri cœpit. Et quemadmodum in flumine, re etiam minima fundo affixa, quidquid defluentis aquæ lapsus in eam impingit, sistitur, atque rei illi sese applicat, ita ut ea initio parva & infirma, paulatim magna & robusta euadat; ita in torrente isto malorum qui Angliam inundabat, res nihili, Amor videlicet mulierulæ, universo Regno ruinam adduxit: & ut dicam apertius, Regi adversus Pontificem aliquid molienti res nihili fundamentum fuit schismatis, quod deinde omnes infelicissimi Regni Ecclesiasticas leges pessum dedit. Est Lex in Anglia, quam DE PRÆMUNIRE appellant. Rex, ut aliqua juris specie in Clerum grassari posset, re cum quibusdam Consiliariis, quos voluntati suæ assensuros sciebat, prævaricata hujus Legis litem Clero intendit quod Pontificis & Legatorum ejus externam potestatem agnosceret, eoque omnia ejus bona in commissum cecidissent, hisque Regis inferenda essent. Clerus ab Archiepiscopis suis & Metropolitanis, Cramero, & Leio Eboracensi præfule, qui actores hujus erant Tragediæ, desertus, facile hujus deputationis onere oppressus fuit. Et hoc initium fuit eorum, quæ mox subsequuta sunt, malorum. Itaque Clerici, ut pro necessitate præsentis temporis, Regis voluntati concedendo sese ex istis calamitatibus eriperent, una voce Regi supplicarunt, ut aureorum quadringenta millia, quæ ad criminis commissi expiatione suæ Majestati offerebāt, benigne accipere, reliquamque eis poenā remittere, & condonare dignaretur: idque pro summa illa potestate, quæ in Regno suo eum, tam in Clerum quam in reliquum popu-

lum habere fatebantur. Ex qua dicendi formula prima occasio deinde sumpta est (frivola sanè & levis) ut Rex superbum illum & gloriosum titulum assumeret; *supremumque Ecclesiæ Anglicanæ Caput* diceretur.

Quæ quum viri nonnulli graves viderent, & tanquam periti naucleri impendentem tempestatem jam animo prospicerent; subtrahere se injuriis temporis, & in tutum recipere nitebantur. In primis Thomas Morus, vir doctrina, dignitate & virtute præcellens, rogavit, ut cum bonæ Regis venia abdicare se magistratu liceret, reddito Regi Cancellariatus sigillo. Huic Rex suffecit hominem valde tenuis fortunæ, Thomam Audlæum, simulque facultates ejus, piæguis in Londinensi civitate Abbatia accessione locupletavit. Quum autem hæc & alia ad aures Pontificis Clementis perlata essent, simulque didicisset, quam impotenter in Annam Bolenam affectus esset Henricus, quodque ejus causa matrimonii sui dissolutionem tantopere ex peteret: Pontifex, qui jam antea non semel literis precibusque suis Henricum frustra tentaverat, nunc aliis literis, in forma Brevis concepit, Regi præcipere pro sua auctoritate sub anathematis poena statuit, ne ad novas nuptias progredi indecisa lite, tentaret. At Henricus, cui molestum erat quidquid consiliis & libidini ipsius obstabat (Amor enim, quo magis cohibetur, eò magis exardescit, Euripide teste) omnem istam Pontificis actionem susque deque habuit, & Annam recusatam, nisi nuptiis intervenientibus, corporis sui copiam Regi facere, vehementius etiam deperire cœpit. Hanc Pembruchii Marchionissam primum abs se constitutam, ad decimum Calendas Decembris, Anno 1531. in uxorem clam ducere constituit, eo quod de divortio Catharinæ nondum esset neque Romæ neque in ipso Angliæ Regno pronunciata sententia.

III. Rolandus ergo quidam tunc Presbyter (quæ postea Rex propter hoc obsequium in Episcopum Liechfeldiensem cooptavit) accersitur. Ei Rex narrat, sententiam Romæ jam tandem secundam se pronunciatam esse, factumque sibi esse potestatem novam uxorem ducendi: ad eam rem persiciendam ipsius potissimum, quem honoratum exspectet, opera uti velle: Rolandus Reges, qui potestatem jubendi & cogendi habent, non mentiri arbitratus, actis gratis, ad rem divinam faciendam sese præparat. *Mox, credo* (inquit) *Majestatem tuam habere diploma* Pontif-

Ponti-

*Pontificis: id ut exhibeatur & palam legatur promulgeturque, sacri canones postulant, ut ne ignorantia causam quisquam obtendat.* Tum Rex habere quidem se literas affirmat, sed reclusas esse in secretiore loco; parum autem decere, ut eo tempore allatum illas prodiret. Acquiescit Rolandus imprudens, completisque ceremoniis, Henrico secundam uxorem tradit, prima nondum per ullam omnino auctoritatem in ullo iudicio interpositam repudiata: immo illam tradit, sine ulla dispensatione cujus forori jam antea Henricus stuprum attulerat: qui quidem eam dispensationem per literas à Pontifice, ut supra vidimus, petierat. Atque ita idem Henricus & matre, & sorore, & ea ipsa abusus est, quam poterat suspicio esse ab ipso genitam fuisse. Quis unquam fuit tot incastibus pollutus? & quos incastus tantum malorum consequutum fuit, quantum hos ipsos? Accepto de novis istis nuptiis nuncio, serenissima Catharina, relicto Regis palatio, in villam quandam, cui nomen erat Cimbalton, in provincia Bedfordiensi, parva familia comitata secessit, ibique orationibus, jejuniis aliisque sanctis exercitiis vacavit. Nemo erat ex ijs, quibus Religio & fides Catholica cordi fuit, qui non abeuntem lachrymis prosequeretur: ita omnes miseriarum ipsius sensu, & absentis desiderio tangebantur, & pro negociorum ipsius, tum nimis deploratorum, felici successu vota nuncupabant: Aula interim in hilaritatem atque lætitiā soluta erat, videbaturque omnis dolor & tristitia unā cum Regina abscessisse. Omnes solem istum recens exortum adorant omnes novæ Regiæ obsequia sua deferunt, & placere ei omni opere student. Inter hos non postremi hæretici, *Pontifici Romano detrahentes, & tot annorum moram, quam in negotio divortii interposuisset, incusantes, eius damnant & detestantur dominationem.* Hi apud Annam & Henricum valebant gratia, qui novæ uxoris studio, accessum illis ad aulam liberiores indulgebat. Inter ceteros, quos Anna his initiis Regi commendavit, fuit Thomas Cromwellus, qui Cardinalis Volsæi fortunam immitatus, ad tantam auctoritatem pervenit, ut omnia Regni negocia ipsius consilio & opera gererentur: Henricus eum Cranmero Archiepiscopo, & Audlæo Cancellario sociare statuit: *quorum quasi trimviratu nihil peius aut seditiosius fuit, aut Ecclesiæ infestius.* Primo igitur illum scriiniis regis præfecit; deinde sibi à secretis constituit; postea Equitem aularum & Baronem; deinceps Essexiæ Comitem

creavit, magnum etiam Regni Camerarium, & sigilli secreti custodem. Hanc opportunitatem hæretici, sub Annæ favore omnes plagas tendunt Catholicis, Clero imprimis adversus quem libellum famosum in vulgus edunt, cujus erat inscriptio, *Libellus supplex mendicorum.* In quo exaggerant ex una parte pauperum extremam indigentiam, ex altera vero opulentiam & ditissimos proventus hominum Ecclesiasticorum: *Clerum Anglicanum suo numero bis millesimam partem aliarum personarum non aquare, mediam autem partem divitiarum omnium possidere: Rogant itaque ut Rex centesimam tantum partem qua habeant, Clericis permittat, reliquas in fiscum suum redigat, in pauperes distribuendas.* Huic libello, quum esset in manibus omnium aulicorum, Thomas Morus alium audacter opponit, eumque inscribit, *Libellum supplicem animarum in Purgatorio.* In hoc demonstrat, Cleri opes vere esse thesaurum pauperum, qui maxime omnium ex iis sustententur. Annæ tamen & Cromwelli & Cancellarii infestos Clero animos eares non mutavit, qui Regi Ordinibusque auctores fuerunt, exigendi ab Ecclesiasticis, ut idem juramentum obedientiæ, quod Pontifici solent, præstarent Regi. Placuit Henrico vehementer consilium, sed quia res nova atque inaudita erat, vir aliquis magne apud Clerum auctoritatis, qui eam primo proponeret, deligendus videbatur. Propositus est Ioannes Fisherus Rosensis Episcopus, quem Anna Bolena capitali odio prosequeretur, & veneno tollere conata fuerat. Is accersitus à Rege primum excusatione & dilatione usus est post, quum veniendum tamen esset, cognita Regis voluntate, omni ratione eximere se ista provincia tentat. Rex contra iuratus affirmat, se experiundi tantum causa hoc postulare, ut quis esset Cleri in ipsum affectus & fides, cerneret, nec velle illud juramentum ab Ecclesiasticis præstari, nisi hac expressa cautione, *Quantum ipsi per Dei verbum permissum esset ac licitum.* Hic lapsus est Fisherus, & Clerum unā secum in errorem induxit. Nam quum plerique jam Cantuariensi & Eboracensi Archiepiscopis adhæsisent, ipse reliquos, qui adhuc renitebantur, in suam sententiam pertraxit. Hac igitur arte circumventus Clerus, cum exceptione prædicta obedientiam Regi in causis Ecclesiasticis ac moralibus jurat. Quum hac ratione Ecclesiastici volentes Ecclesiæ communioni valedixissent, jam nihil restabat, nisi ut ferretur sententia divortii. Cranmerus igitur Cantuariensis Antistes ex Henrici arbitrio cer-

tos Episcopos, Procuratores, Advocatos, Tabel-  
liones unâ secum ducens, ad pagnum Dunstallensem  
se contulit, qui proximè abest à Regia villa Amp-  
tilensi, in qua eo tempore degebat Serenissima Cat-  
harina; quam sæpius in jus vocatam, ubi per quin-  
decim dies frustra expectasset, sententiam contra  
ipsam nondum auditam (Rege eam rem sibi ingratam  
esse simulante) pronunciat, dicitque necessitatem  
iura divino impositam Regi esse, ut Catharinam  
repudiet, & libertatem concessam, ut alteram ducat.  
Sic iudicato divortio per eos, penes quos eius rei  
potestas non erat, nuptiarum jam diu ante con-  
tractarum solennis pompa pridie idus Aprilis cele-  
brata est Anno 1532. & Anna postridie Calendas Iu-  
nii Regio diademate coronata.

IV. Quum matrimonii huius fama, sine Angliæ  
egressa, ad Christianorum Principum aures per-  
venisset, dici non potest quantum admirationis,  
doloris, & indignationis in omnium animis ea im-  
pietas excitaverit. Inprimis vero Carolus V. Cæsar,  
Catharinæ ex sorore nepos, adeo indigne  
rem tulit, ut injuriam generi suo factam graviter  
ulcisci statuerit. Erat eo tempore in Italia Carolus:  
itaque Pontificem obnixè rogavit, ut in hoc ne-  
gocio se adjuvaret, armatumque Ecclesiasticis cen-  
suris bello Angliam petere pateretur, præ-  
sertim quum sit etiam ipse Pontifex gravissime ab  
Henrico læsus. Clemens, quanquam & Caroli præ-  
cibus, & torquerelis Anglicani Cleri vehementer  
ad auctoritatem suam interponendam moveretur,  
tamen quum Regis animum ab Annæ com-  
plexu nunc saltim post expletam libidinem speraret  
posse revocari, distulit rigidiora remedia, idque  
pro ea qua erat semper in Henricum indulgentia,  
quem non ut rebellem, neque ut læsæ Majestatis  
divinæ reum, neque ut fidei deterrorem, sed ut dilectum  
filium tractabat, & salutem & existimationem  
eius omnibus modis promovens. Itaque inter  
suum, quod meditatus fuerat in Galliam perficere,  
conventus Massilia Franciscum primum Regem  
Christianissimum. Fuit hoc Anno 1533. Eo con-  
ventu transactum est de nuptiis inter Laurentii  
Medicis junioris filiam, neptem Clementis ex fra-  
tre, & Aurilianensem Ducem secundum Francisci fi-  
lium. Massilia igitur Pontifice commorante, adven-  
nientes ex Angliâ Legati, omnem decemnatione  
Henrici solum penitus sustulerunt: quorum eo usque  
proressa est quodam die impudentia, ut Aposto-  
licæ Sedis potestatem per summam arrogantiam im-  
minuentes, inque præsentem Pontificem contumeliose  
dicentes, ab ipsius auctoritate ad conci-

lium futurum provocare non erubescerent. Quæ  
res & Pontificem & Regem ita exacerbavit, ut prioris  
suar erga Henricum lenitatis atque indulgentiæ  
pœnitentia ducti, deinceps pro hostibus eius sese  
gerere statuerint. Et Franciscus quidem apud  
Legatos Henrici professus est, se federi, quod ipsi  
cum Henrico intercederet, renunciare: simulque  
auxilia, quæ ab ipso petebant, Legatis negavit, re-  
spondens: *Aliis in rebus omnibus se fratris animum  
Henrico præstiturum, sed in iis qua contra Religionem  
fierent, nec velle cuiquam associari.* Pontifex vero in  
Italiam reversus, causam in sacro Cardinalium col-  
legio cognita & examinata, sententiam tulit non  
longe ante mortem Anno Domini 1533. Pontificatus  
sui XI. in hæc ipsa verba quæ sequuntur.

Quum, pendente lite coram nobis, dilecto filio Cap-  
zuccho cappellano nostro, ac sacri Palatii Apostolici  
causarum auditori & Decano, à nobis in Consistorio Re-  
verendissimorum commissa, inter charissimos in Christo  
filios nostros Catharinam & Henricum octavum An-  
glia Reges, de & super validitate matrimonii inter eos  
contracti, præfatus Henricus dictam Catharinam reje-  
cerit, & de facto eam quadam Anna matrimonium con-  
traxerit, contra mandata & decreta tam admonitionis  
quam inhibitionis in literis in forma Brevis, etiam de  
consilio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium emanatis,  
contenta, temere & de facto attentando: Idcirco  
nos de illius potestatis quam Christus Rex regum nobis,  
licet immeritis in persona B. Petri concessit, plenitudi-  
ne, in throno justitiæ pro tribunali sedentes, & soli Deo  
præ oculis habentes, per hanc nostram sententiam,  
quam ex nostro mero officio, ac de venerabilium fratrum  
nostrorum S. R. E. Cardinalium consistorialiter coram  
nobis congregatorum consilio, ferimus, ejectionem & spo-  
liationem dictæ Catharinæ Regina à quasi pos-  
sessione juris conjugalis, & Reginalis dignitatis, in qua  
tempore huiusmodi motu litis erat matrimonium inter  
prædictum Henricum Regem & Annam prædictam con-  
tractum, quum prædicta omnia notoria & manifesta sint,  
prout ita esse declaramus, Nulla, Injusta, & Attemp-  
ta fuisse & esse, ac nullitatis, injustitiæ attempatorum-  
que vitio subjacuisse, & subjacere, prolemque susceptam  
sive suscipiendam illegitimam fuisse & esse præfatumque  
Catharinam Reginam, ad suum pristinum statum &  
quasi possessionem juris conjugalis & Reginalis dignita-  
tis restitui & reponi debere, dictumque Regem dictam  
Annam à cohabitatione sua & quasi possessione juris  
Conjugalis & Reginalis ejicere & amovere debere, in  
his scriptis pronunciamus, decernimus & declaramus  
restituimus & reponimus, ejicimus & amovemus. Ead-  
demque